DE TRICHOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS,
DIE XXX. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS SCHLESINGER,
FRANCOFURTANUS VIADRINUS.

OPPONENTIBUS:

H. BAMBERG, MED. ET CHIR. DR.,
J. MOSESINNO, MED. ET CHIR. DR.,
W. ROESER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

REVERENDISSIMO,

RECTORI MAGNIFICO,

M. H. C. LICHTENSTEIN,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI ZOOLOGIAE PROFESSORI PUBL. ORD. MUSEI ZOOLOG. UNIVERSIT. REG. DIRECTORI PRIMAR. EQUITI ORDIN. REG. DE AQUILA RUBRA ACADEMIAE REG. BORUSS. SCIENTIAR. SOCIO ORD. ACADEM. CAESAR. LEOPOLD. CAROL. NAT. CURIOS. SOCIET. SCIENT. HARLEM. SODALITII NAT. SCRUTATOR. BEROLIN. SOCIET. NAT. SCRUTATOR. HELVET. SOCIET. CAESAR. NAT. CURIOS. MOSCOV. SOCIET. PHYS. MED. ERLANG. SOCIET. PHYS. RHENAN. BONNENS. FRIBURG. GRONING. HALENS. HANOVER. LIPSIENS. MARBURG. MEGALOP. WETTERAV. MARCH. OECONOM. SODALI,

PRAECEPTORI ET FAUTORI

QUAM MAXIME VENERANDO,

EA, QUA PAR EST, PIETATE, REVERENTIA,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Inter morbos, quibus homines affici solent, plicam polonicam haud infimo loco ponendam existimo, partim ob singularem hujus mali naturam, partim ob summas controversias, quae de ejus causa inter scriptores aguntur. Quae cum ita sint, eo magis miraberis, quod ego, artis medicae tiro, ut mori solemni satisfaciam, de hoc morbo quaedam disserere conatus sim. At hanc scriptiunculam non ea mente confeci, ut alios edoceam, vel ut hujus rei notitiam amplificem, sed ut scriptorum sententias, de hoc morbo editas, colligam, easque comparando aliquantulum lucis materiae toti affundam, id quod pro virium modo summa cum diligentia assequi studui.

A Vobis, lectores benevoli, quaeso, ut opusculo huic juvenili, nisi adnuatis, indulgentiam largiamini, summum enim hujus laboris fructum me percepisse fatebor, si pauca illa, quae afferre conatus sum, non prorsus indigna habeatis, quae legantur a Vobis atque notentur.

Libri, quibus plica Polonica exquisitius pertractatur, hi fere sunt:

Alibert: Description de maladies de la Peau, en Fol. 2 Liv. à Paris 1806.

De la Fontaine: Chirurg. medicinische Abhandlungen. Leipzig 1792.

Schlegel, F. J. A.: Ueber die Ursachen des Weichselzopfs ꝛc. 8. Jena 1806.

Hufeland: Journ. der prakt. Heilk. T. XIV. 3. S. 146.

Schlegel, F. H. G.: Materialien für die Staatsarzeneiwissenschaft ꝛc. Samml. 1. 1819.

Cartheuser: de morbis endemicis. Francof. a. O, 1771.

Wedemeyr: Comm. hist. pathologicam pilorum corporis humani sistens. Gottingae 1813.

Blech: Tractatio de mutation. unguium morb. Berol. 1816.

Berends: Dissertatio de dubio plicae Polonicae inter morbos loco. Francof. a. O. 1801.

Lorrey: Dans le Recueil periodique, de la société de Médécine.

Haller: Bibliotheca medica pract. T. II. p. 225.

Mursinna: Medicin.-chirurg. Bemerkungen (Reimer). Berlin 1797.

Plenk: De morbis cutaneis. Viennae 1776.

Selle: Medicina clinica. Berolini 1785. p. 230.

Soemmering, S. Th.: De morbis vasor. absorb. corp. humani. p. 101. Traj. 1795.

Vicat: Mémoires sur la plique polon. etc. Lausanne 1775.

Ruhmfeld: Neueste Ansicht des Weichselzopfs in seinen Grundursachen. Freiburg 1813.

Steinkohl, W. von: Der Weichselzopf in Deutschland. Hadamar 1824.

Hecker: Gedanken über die Natur u. Ursachen des Weichselzopfs. Gotha 1819.

Frank, J.: Mémoires sur l'origine et la nature de la plique polon. Wilna 1814.

DE VARIIS MALI NOMINIBUS.

§. 1.

Huic morbo varia nomina indita sunt, quorum haec praecipue memoranda videntur.

Plica polonica; Trichoma; Morbus cirrorum; Lues sarmatica; Helotis; Tricae; Morbus scirrhorum; Incuborum; Plica caput Medusae; Plica longi cauda lateralis; Plica cespitosa calyptraeformis; Coma caesarea. Poloni huic malo, dum materia morbosa corporis massae immixta haeret „*Gozdziec*" exculto autem, „*Koltun*" nomen tribuerunt. Germani quoque variis nominibus utuntur: Weichselzopf, Mehrenflechte, Judenzopf etc.; Quae omnia vel capillorum implicationem significant, vel ad morbi causam spectant, vel e forma, vel ex opinionibus praejudicatis desumta sunt.

DE DIVISIONE *).

§. 2.

Dividimus vulgo plicam polonicam in veram spuriamque, perperam vero, nam spuria nihil commune habet cum plica, nisi externam speciem,

*) *La Fontaine* d. l.

neque hanc quidem, si accuratius verum scrutamur. Aliam rationem dividendi affert *Alibert* *), qua quaeritur, num una plica, an complures, num ejusdem, an diversae formae adsint; at, si rem sincere consideramus, id sane a consuetudine pendere videbimus, qua forte homines capillos promittere solent. Medico utilior est divisio morbi in simplicem complicatumque, in larvatum atque manifestum, in benignum et malignum.

MORBI DESCRIPTIO.

§. 3.

Haec jure in duas partes dispesci potest, nam semper fere prodromi, incertam habentes moram, praemittuntur; qui per complures annos nonnunquam protrahuntur. Quapropter primum de his, tum de manifesto morbo dicendum est.

PRODROMI.

§. 4.

Hi sane tam varii sunt tamque diversam offerunt indolem ac formam, ut haud raro medico, artis peritissimo, difficultates summas exhibeant. Plerumque tamen affectionibus catarrhalibus ordiuntur **), longius progressi omnium cachecticorum ac nervosorum morborum symptomata imitari solent. Sed rarissime ineuntibus prodromis et in capitis integumentis et in unguibus sensus ingratus desideratur.

---

*) *Alibert* d. l.

**) *Brera*, Memorabilia de plica pol. omni aevo observ. 1797.

§. 5.

Accedunt mala varii generis, artuum dolores, cephalalgia, inflammationes, vertigo, aurium tinnitus, physocephalus, cutis affectiones, nausea, vomituritiones, vomitus chronicus periodicusque, pneumonia, epigastrii pressio, unguium tumor, livor, artuum stupores, phanophobia, oculorum inflammationes, epiphora, fistulae lacrymales, photopsia, spasmi et tonici et clonici, ita ut nullus fere morbus sit, quin produci atque erumpere possit.

§. 6.

Crescentibus prodromis nunquam non febris, quamlibet speciem formamque imitatura, plerumque indolis criticae, adjungitur, quae, plicae efflorescentia ullo modo cohibita, aut resectis unguibus, si venenum ad hos tendat, aegrotum morti tradit, aut illam metamorphosin efficit, quam

MANIFESTUM MORBUM

§. 7.

nuncupavimus. In quacunque parte pilosa, imprimis vero in capite, imo etiam in axillis, pube et solis unguibus illa metamorphosis exstare potest. Primo autem illo veneno bulbi afficiuntur, inflammatione quasi correpti. Tum crines ipsi summam crassitiem assequuntur, sudor tenax et foetidissimus profunditur, singuli crines, materie puriformi mox in crustas conversi, intricantur. Nonnunquam haec exsudatio prorsus abest, quocirca nomine plicae siccae morbus notatur. Tum plica varias formas, sola consuetudine capillos promittendi, ortas, induit. Quodsi hoc tempore malum

negligitur immunditieque augetur, non raro evenit, ut pediculorum magnus numerus, e materia trichomatica emergat.

§. 8.

Quidem scriptores *), has materias facta incisione, sanguinem effudisse, perhibent. Quamquam argumentis haec sententia probari nequit, tamen analogia aliarum pseudoorganisationum ei non repugnare videtur. Sic enim vasa nutrientia ad Lupias etc. commeant, atqui crinium bulbos vasa adeunt, eadem extendi posse, haud improbabile est. Neque enim, vasa ad capillos ipsos commigrent, necesse est, possuntne tantum ad materiam trichomatosam proficisci? Hoc eo probari videtur, quod massae trichomatosae, quamdiu crescunt, propria sensibilitate gaudent, quam ab alia causa, non a vasis pendere oportet **).

§. 9,

Plica, crasitiem atque longitudinem quandam adepta, siccescit et omni sensibilitate destituitur. Jam sine ullo periculo massae resecari possunt, sin diutius remanent, nova implicatio, neutiquam vero morbosis cum phaenomenis, oritur; hanc medici *plicam spuriam* nominaverunt. Non solum in Polonia, sed in aliis quoque regionibus, plica spuria, sola immunditie orta, apparet, neque minus plica, quae nonnunquam in Saxonia dominatur et nomine *Sellentrost* insignitur, sane spuria ista haberi potest.

---

*) *Richter*, Therapia et alii.

**) Id quod pulchre demonstrat, capillos, uti a quibusdam creditum est, non solas compages vegetabiles esse.

§. 10.

Ungues quoque nonnunquam similibus affectionibus corripiuntur, quo facto non raro accidit, ut in capillis eruptio, majori quidem cum periculo, impediatur. Mutantur plerumque in massam mollem, vel spongiosam. Quodsi venenum ad eos tendit et majorem vim concipit, saepissime exitium infert. Animalia Poloniam incolentia eodem morbo iisdemque phaenomenis laborant. Sic canes, vulpes, equi, oves huic malo submittuntur. Si scrofulae, syphilis, scorbutus, imprimis in Polonia desaevientes, vel alii morbi cum hoc malo conjuncti sunt, plica terribilem aspectum praebet, multoque majores difficultates medicis exhibet.

DE PLICAE VARIA FORMA.

§. 11.

Forma nihil certi habet. Multi scriptores ab ea, uti supra dictum est, divisionem, perperam quidem, desumere voluerunt. Descriptae vero sunt in *simplices*, si tantum singuli crines coëant, *multiplices*, si in corporis humani omnibus partibus pilosis simul complures quasi funes appareant, *duplices, mitrales, nodosae* cetr. Quod ad longitudinem attinet, non minor varietatum numerus esse solet *). Plerumque enim haec a capillorum naturali longitudine pendet, sed nonnunquam mirum in modum massae trichomatosae crescunt. Sic *Schlegel* **) quinquepedalem et quod excurrit pli-

---

*) Vid. icones, quae adjectae sunt; Traité de la Plique Polonaise de la Fontaine a Jourdan edit.

**) *Schlegel*, Materialien etc.

cam mulieris depinxit, quam *Alibert, plique a queue ou solitaire* nominat.

DE AETIOLOGIA.

§. 12.

Hac de re scriptores valde dissentiunt. Apud veteres ne vestigium quidem hujus morbi invenimus, ni Lepram huc referendam putes. De prima veraque mali origine in Polonia magnae controversiae aguntur, nec minus de causis hujusce morbi. Alii enim contendunt, malum ante annos prope quingentos et quidem per Tartaros *) ad Polòniam delatum, et nihil nisi Leprae modificatiouem, victus regionisque conditione mutatam, esse. Multa huic sententiae favere videri, infra notabimus.

Alii contra in lue venerea mali primordia quaesivęre, quae vel acquisita et quacunque causa in hanc formam mutata, vel congenita esse possit.

Alii plicam nihil nisi Arthritidem anomalam esse, arbitrati sunt. Alii vero crediderunt, morbum prorsus congenitum, a priscis inde temporibus ibidem esse grassatum, ad eam observationem provocantes, quod proles mulierum in alias regiones profectarum, quod olim saepius, *Augusto III.* Poloniae rege, evenit, eodem morbo correpta sint. Alii contra causam in singulari aëre Poloniae et vicinarum regionum posuerunt. Alii causam in sola immunditie collocavere. Alii **) vel negarunt,

---

*) *Sprengel.*

**) *Mursinna*, Medicinische Beobachtungen.
Berends, de dubio etc.
Rouselle-Chamseru.

plicam esse morbum. Alii *) veteriorum scriptorum causam in praestigiis quaesiverunt.

§. 13.

Re diligenter considerata ac ventilata, haec vera certaque esse videntur.

1) „Quod attinet sententiam, malum Lepra sola exortum esse, multa sane cum ea consentire videntur; primo quod memoriae proditum est **), Lepram aliquando ex Oriente in Poloniam translatam esse; tum quod prima plicae vestigia apparebant, quum Lepra ***) per totum Orientem saeviret; deinde quod symptomata et causae cum illo malo prope congruunt, iisdemque fere remediis cedunt; denique quod et naturam contagiosam cum Lepra communem habet. Haec omnia bene atque exacte exposuit *Frank* †).

2) Plicam non a Lue venerea derivandam esse, ea re optime demonstrari potest, quod non solum constat, Luem istam multo serius ad Poloniam quam Plicam esse translatam, verum etiam quod mercurius non eandem vim exserit in hanc, quam in illam.

3) „Arthritidi quoque anomalae causam haud tribui posse, coufirmari videtur eo, quod illa tantum eos homines, qui trigesimum annum ex-

---

*) *Pererius*, B. Quaestiones medicae XII. Montpellier 1618.

**) *Solinac*, Geschichte der Polen.

***) *K. Sprengel*, Nachtrag zu Hensler's Werk etc.

†) *Frank*, Ueber den Gesundheitszustand im Departement von Posen. 1804.

cesserunt, invadere solet *), haec (i. e. plia) ne infantulis quidem foetuique parcit **); porro quod plica animalia plura corripiuntur, cujus rei exemplum de Arthritide nullibi auditum est."

4) „Qui contendunt, malum tantum congenitum esse, causam profecto non attingunt, sed nihil aliud judicaverunt, quam morbum esse hereditarium, id quod etiam de Lepra aliisque morbis chronicis dici potest."

5) „Haud diffitebor, peculiarem aërem illarum regionum, multum ad morbum procreandum valere, huic tamen causae omnes partes tribuere nequeo. Nam qui hoc contendunt, ita ratiocinantur: quantum clima in crines valeat, proprius testatur crinium color apud populos aliis non intermixtos, e. g. veteres Germanos ***), Aethiopes etc. Sic etiam canes in Africa pilis destituuntur, eoque translati crines amittunt †) Quidni ergo, clima morbum peculiarem, crinium gignere, concedamus? quid quod aliae regiones proprios morbos endemicos exhibent!"

6) „Opinio, qua contenditur, malum sola immunditie oriri, omnibus argumentis caret, nam neque munditiei amantibus, neque squalori deditis parcit morbus."

7) „Tum prodromi quam experientia multos hoc morbo perire confirmans, refutant eorum opinionem, qui plicam morbum esse inficiantur.

---

*) *P. Frank*, Epitome.

**) La Fontaine d. l.

***) Tacitus Germ.

†) *Haller*, Element. physiolog. Lib. XII. S. 1. §. 19.

8. „Plicam haud ex incantatione oriri posse, vix memoratu dignum esse puto."

§. 14.

In universum igitur causas dividere possumus
1) in causam proximam et
2) in causas remotas s. occasionales.

Causa proxima in reproductionis vitio et quidem totius systematis consistit, cujus irritabilitas atque sensibilitas, modo secundarie, participes redduntur, quodque efficit, ut productum, lympha alienata scilicet, in crinibus, vel in unguibus deponatur. Qua ex re patet, malum nunquam locale existimandum esse.

Causae remotae tam a climata terrae proprio (ergo endemicae), quam a victus ratione modoque pendent. Etiamsi malum aliarum terrarum homines invasisse dicitur, sententia tamen nostra haud infringitur, morbum tantum Poloniae vicinisque regionibus proprium esse. Nam primo, qui in alia terra hocce malo corripiebantur, plerumque Poloni erant, ut morbus quasi hereditarius eos secutus esset; porro apud alios plicam, quam spuriam vocant, exstitisse verosimile est; denique sicut alii morbi, e. g. pestis et febris flava, certis regionibus competunt, ad nos autem nonnunquam sporadici deferuntur, ita et plica polonica. *Schlegel* asserit, si aliis in terris plica vera exoriatur, eam certe a causa syphilitica derivandam esse *). —

§. 15.

---

*) *Schlegel*, Neue Materialien etc.

§. 15.

Morbo producendo favent immunditıes, mitrae, sub quibus caput quasi in sudatorio versatur, spirituosorum abusus, halecum ac ceparum, vita tumultuosa et sedentaria, Venus nimia, crinium resectio, aquae corruptae, domicilia humida, animi pathemata etc. Cumque pauperes plurimis horum periculorum obnoxii sunt, haud mirum est, eos hoc malo saepius quam opulentiores subigi.

§. 16.

Malum nemini, neque juveni, neque seni, neque ulli cujuscunque ordinis, neque peregrinis, qui ad Poloniam profecti sunt, parcit. Contagium, per quod malum propagatur, fixum est, et quidem tenacitatis talem gradum habet, ut ipsis massis recisis immoretur, naturaque contagiosa non destituatur. Sic e. g. opifices pelles animalium tractantes, quam maxime cavent, ne pellem isto morbo correptam emant, quod sane non ignorant, morbum contactu propagari posse; cumque idem ab omnibus scriptoribus affirmetur, ne minima quidem dubitatio de veneni hujusce contagiosa indole superest. Periodicum quoque nonnunquam malum occurrit, cujus rei exempla multi scriptores afferunt.

§. 17.

Incisio corporum, hoc morbo defunctorum nihil, nisi bulbulorum *emollitionem* et glandularum abdominalium tumescentiam commonstrat. Alia phaenomena a veteribus scriptoribus enarrata fictitia habentur.

§. 18.

Malum in Tartaria, Littunia, imprimis vero in Polonia ad Vistulae littora, vim suam expromit.

PROGNOSIS.

§. 19.

Jam ex sola, quam hic exposuimus, morbi historia, ejus prognosis satis clare apparet. Praesagium hoc in morbo tum, e prisca aegri conditione, febris inchoantis indole, tum e cognita epidemicae constitutionis charactere, denique ex serie et successione symptomatum petendum est. Omnino malum pertinax est, et in prodromorum stadio periculis abundat, quod aegrotum perinde in mortem detrudere, ac salutem valetudinemque ei reddere potest. Aetas tenerior, ac nimis provecta, pubertas imminens, graviditas, puerperium, corporis habitus debilis etc. plicae pericula augent. Qui semel hoc morbo laboraverunt, facile in eum relabuntur. Maxima vero pericula oriuntur, si eruptio, tanquam morbi crisis, impeditur, quod imprimis praematura resectione fieri solet. Tunc intestinorum inflammationes, apoplexia, coecitas, affectiones nervosae varii generis, ut brevibus dicam, omnia supra (§. 5.) descripta symptomata prodromorum excitantur.

§. 20.

Aestate morbus magis, quam hieme emergit. Quo diutius prodromi perduraverunt, eo facilius malum in pejus vertitur. Foeminis ob laxiorem partium habitum saepius lethum infert morbus. Malum contagio acceptum *prae omnibus* laetam

prognosin admittit. Si morbus ad ossa usque jam meaverit, ne minima quidem spes salutis exstat.

Urinae turbidae sudores copiosi, salutarem plerumque per has vias solutionem, facilemque eruptionem praedicunt. Si in capitis tegumentis frigoris sensus, plica jam curata, oriri coepit, morbum rediturum *La Fontaine* dicit. Praeterea ad moram et benignitatem respiciendum est. Ubi prodromi jam diu, sine conspicua eruptione, perstiterunt, malignitas ingens est, etenim ni mors ipsa, frequenter organorum digestionis et reproductionis morbi chronici consequi solent. Malum vero benignam habens indolem, saepe per totam vitam sine majori molestia perfertur.

DE CURATIONE.

§. 21.

In tanta ambiguitate causarum, quae plicam inducere traduntur, variaque efficacia remediorum, quibus vel una vel altera ut causa proximam confirmetur, ea exponenda sunt medicamina, quae compluribus profuerunt, atque alia, quae ulterius tentanda videntur. Pro varia enim opinione, quam quisque de causis plicae conceperat, nunc antisyphilitica, nunc antiscorbutica, nunc morbis cutaneis chronicis adversa, quae methodus sibi maximam laudem et jure quidem, ut infra videbimus, peperit, aliaque in usum vocata sunt remedia.

Sed priusquam de cura ipsa disseram, quaedam de cura prophylactica, saepe totum morbum cohibente, dicturus sum.

DE CURA PROPHYLACTICA.

§. 22.

Malum certissime in Polonia minus saevum foret, nisi incolae praeconcepta opinione tenerentur, illo exorto omnia alia mala praepediri *). Qua de causa vulgus omni modo operam dat, ut hujus morbi vel contagione, vel insitione particeps fiat. Imprimis igitur haec superstitio tollatur, necesse est. Tum melior cura capillorum, eorumque ad aliorum populorum morem confirmatio iis commendanda est. Trichomate laborantes a sanis arceantur, opus est. Magistratus curet, ne semel hoc morbo correpti, vel sanati, matrimonia ineant. Animalia plica laborantia statim necentur atque crementur vel defodiantur. Omnino maximae munditiei indulgeatur, cui optime balnea satisfaciunt. Prae omnibus vero diaeta apta utendum est, nihil enim melius ab hoc morbo corpus totum praestat. Qua de re spirituosorum, halicum, ceparum et aliorum nocentium abusus diligentissime vitetur.

DE CURA THERAPEUTICA.

. 23.

Curae, quae vix non semper difficilis, secundum nostram divisionem, scilicet in prodromos et morbum manifestum, sequentibus medendi indicationibus sstisfaciat necesse est. Prodromis satis certo cognitis, metamorphosi, sive ad capillos sive ad

*) *P. Frank* System der med. Polizei etc.

ungues tendenti, medicus faveat, caveatque, ne forte unguium vel capillorum resectionem commendet, contraque omni modo curet, ne hoc fiat. Primo vero causae, quae plicam produxerunt, si removeri possunt, removeantur. Qua de re divitioribus, ut regionem, in qua habitent, relinquant, et ad aliam terram demigrent, imperari potest etc. At, si hoc fieri non potest, et morbus procedit, diaphoreticis e. g. Liq: Ammon: acetici, Tart: stib: refractis dosibus, pulvere Doveri, Camphora utendum est. Et ex resolventibus, quae dicuntur, majorem fructum ceperunt medici. Ad quae pertinent Rad: Bardanae, Graminis, Saponariae Taraxaci, Cichoriae, Sassafras, Lignum Guajaci, Serum lactis etc. Plebi Poloniae Lycopodium, Selago et Vinca Pervinia tanquam specifica ad plicam promovendam aestimantur *), saneque ob majorem utilitatem, quam nonnunquam praebuerunt, haud aspernanda sunt. Dentur:

Rec. Sem. Lycopod. ℥jjj
infund c. v. comm. bull. ℔jjj
dig. p. noct. tunc
coq. p. ¼ hor.
D. S.
sumatur per diem.

Quanquam sulphurata atque mercurialia a multis medicis laudata sunt, *Richterus* aliique ea velut nocentia spernunt. Localibus affectionibus, majorem gradum adeptis, sueta methodo occurrendum. Inflammationes e. g. methodo antiphlogistica tem-

---

*) *Richter* Therapiae.

perandae; sordes, in primis viis haerentes, emeticis, vel eccoproticis, sed caute movendae sunt, nam facile metastasin ad intestina inducunt et exitum lethalem sortiri possunt.

§. 24.

Inter omnia vero medicamina ad plicam depellendam jure, Antimonium ejusque praeparata laudantur e. g.

Rec. Sulph. aurat. antimo. ʒj
Merc. duc. ℈VI
Extr. Sapon. ʒVI
— Sassap.
G Guajac. āā ʒV
M. S. pilul. pond. grjjj S,

sumantur ter die, hora ante jenteculum, praudium et coenam quinque pilulae.

Nec minus balnea tepida prodesse solent, quae nunquam negligantur, oportet.

§. 25.

Jam si materia morbosa prodire recusat, et symptomata minacia appareant, admovenda sunt capiti cataplasmata, vel emplastrum e Sinapi. Nec minus expedit, emplastrum e Cantharidibus dorso applicari e. g.

Rec. Empl. Cantharid. ʒVI.
Picis alb.
Galb.
Cicat.
G Asa foet. āā ʒj
M. F. Emplastrum. S.

S. Juxta longitudinem totius spinae dorso applicetur.

Nonnulli etiam ulceribus artificialibus cervici applicati multo cum fructu usi sunt.

§. 26.

Et plicae insitionem alii commendavere, sed unusquisque facile intelliget, hoc faciendi veniam medico tunc demum datam esse, si plicae venturae omnia signa adsint. Eadem medicamenta in usum, mutatis mutandis, trahenda sunt, si materia morbosa ad ungues delata est. Ut ad ungues evocetur, morbosa affectio, digiti in recentem plicam demittantur.

§. 27.

Impedita vero quocunque modo eruptione ulceribusque ortis, Antimonium et Cicuta intus exhibita, nec non unguenta ex iisdem medicamentis cum unguento Styrace, praeparata, valde laudantur. Caries, aut mollium partium ulcera, miasmate remoto, secundum Chirurgiae generalis praecepta curentur. Contra pediculorum cohortem Hydrargyrum vivum cum farina tritum et in pulveris formam redactum et inspersum, optime aegrorum saluti favet.

§. 28.

Complicationi cum veneno syphilitico optime Mercur. sublim. corrosiv. secundum nota praecepta, plicae respectu habito, opponitur. Scrofulae vero cum hoc malo conjunctae non aliam fere medelam postulant, quam quae ipsi plicae convenit. Sin autem scorbutus verus una ortus est, malum difficillimum curatu erit, et in nullo libro, quot-

quot evolvi, de hujus complicationis medela praecepta inveni, quapropter plura de curatione adjicere dubitavi.

§. 29.

Restat, ut pauca de plicae resectione moneam. Comparatis scriptorum, qui de plica disseruerunt, opinionibus, acerrima controversia haec diremta et decreta esse videntur. Plica, quam spuriae nomine descripsimus, statim sine ullo periculo tonderi potest, veram demum rescindere licet, si jam crescere desiit, non foetet, tactu non pinguis est, et sani capilli subter trichomatosis massis propullurare jam coeperunt. Quodsi nondum evenerit, occasio novam plicam producendi offertur. Sed semper ad hoc opus provide et circumspecte te accingas, ne periculum plicae intempestive rescissae oriatur. Vulgus Poloniae plicam hoc modo resecat; postquam massae trichomatosae siccescere coeperant, eas duobus lapidibus levioribus interserit et malleo sensim sensimque tundit, dum prorsus conquassentur, quippe qua quassatione omni vita privantur. Numne ligatura materiae trichomatosae superimposita saluti melius conducat?

§. 30.

Resectione incautius facta et symptomatibus funestis inductis, illa medicamenta, quae vitae vim vitalem cutis promovent, supraque jam prolata sunt, adhibeantur. Certissimum vero remedium, restitutionem massae trichomatosae ad priorem locum et insitionem *La Fontaine* commendat.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS ADJECTUM.

Ego, *Josephus Schlesinger*, Francofurti ad Viadrum die VI. mensis Martis anno millesimo octingentesimo, patre *Davide*, quem, eheu! defunctum lugeo, matre *Jeanetta* de gente *Reuſs*, summo dei beneficio adhuc mihi servata, natus sum. Primis literarum principiis privatim eruditus, per sex annos Gymnasium Francofurtanum frequentavi, quibus elapsis stipendia per annum feci et nunc munere medici militaris fungor. Ineunte anno millesimo octingentesimo quarto Berolinum me contuli et civibus academicis, rectore Illustr. *Hoffmann*, Illustr. *Rudolphi* decano, adscriptus sum. Ibidem hisce interfui praelectionibus:

Illustr. *Erman* Physicen; Illustr. *Hermbstädt* Chemiam generalem et specialem; Illustr. *Link* Botanicen, historiam naturalem et Toxicologiam; Illustr. *Lichtenstein* Zoologiam; Illustr. *Knape* Osteologiam, Splanchnologiam et Syndesmologiam; Illustr. *Rudolphi* Methodologiam et Encyclopaediam, corporis humani anatomiam, Physiologiam, Anatomiam comparatam Patholo-

gicamque et entozoologiam me docuerunt. In cadaveribus rite secandis Illustr. *Rudolphi* et Illustr. *Knape* mihi praeceptores fuerunt. Illustr. *Reich* de pathologia generali; Illustr. *Horn* de pathologia speciali, morbis mentis et syphiliticis; de mentis morbis Illustr. *Neumann*; Perillustr. *Hufeland* de pathologiae et therapiae partibus; Illustr. *Osann* de materia medica et de fontibus medicatis disserentes audivi. Beat. *Berends* de aphorismis Hippocratis lectionibus assidue interfui. Illustr. *Jüngken* Chirurgiam, Akiurgiam, Ophthalmiatricen et Akologiam; Illustr. *Schubarth* Pharmacopoeam borussicam me docuerunt. Celeb. *Schlemm* anatomicis repetitionibus interfui. Ad medicinam practicam Illustr. *Berends*, Illustr. *Neumann*, Illustr. *Rust* benevole me instituerunt.

Tentamine et examine rigoroso absolutis et dissertatiuncula publice defensa, summos in medicina et chirurgia honores me impetraturum, confido.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnis morbus est sanabilis.

II.

Scirrhus verus exstirpatione non sanatur.

III.

Inflammatio asthenica existit.